

76.

Viro Amplissimo DD. Nic. Jacquin Car. Linné.

Redux Holmia, ubi per 6 hebdomadas commoratus et detentus in Societate Regia, quae transferet sacrum Codicem in Linguam vernaculam, nunc primum respondeo ad Tuas d. 27. Februarii redux.

158. *Bupleurum falcatum* . recte.

147. *Laserpitium trilobum*, distincta est planta a mea. L. trilobum vivum non habui, sed siccum specimen meum habet foliola omnia serrata, a tuis diversissima.

113. *Gentiana ciliata* Tua certe mea est et omnium authorum . habeo et specimen *islandicum* Oederi a Koenigio lectum, et *Norvegicum* ap. m. Gunnero communicatum et *Pensylvanicum* a Kalmio investigatum, nec puto haec diversae speciei, quamvis facie diversae judicarentur.

Tuam plantam habui ex Italia.

168. *Hedysarum alpinum* est meum H. obscurum. Fructus sunt similes in H. alpino et obscuro . sed fructus in obscuro 2 s. 3, in alpino meo, quod sibiricum est, fructus 10 s. 12 articulis. Planta Tua spithamea, alpina mea altitudine humana est, et toto coelo diversa.

266. *Phaca frigida* est eadem cum nostra, quae crescit in alpebus lapponicis.

Upsaliae 1774. April. 6.